



Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCXVIII. Christus eijcit negotiatores è Templo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

6 Ab Octava. SS. Corp. Christi usque ad Adventum.
ac tribulationis &c. Bonum autem Vinum consolatio-
nis ac gaudij servare usque adhuc, nempe in Æter-
nitatem, quod est perpetuum *adhuc*, nunquam desi-
nens. Non ita facit Mundus; ubi Momentaneum est,
quod delectat; Æternum, quod cruciat.

M E D I T A T I O C C X V I I I .

Christus ejicit negotiatores è Templo.

Joan. 2.

PUNCTUM I. Considera, Christi primas & ultimas
curas fuisse, ut Domus DEI quam Sanctissimè ha-
beretur, & nihil in ea indecens contingeret: hinc ini-
tio Prædicationis suæ, ut refert Joan. c. 2. v. 14. & sub
finem ejusdem, quatuor scilicet diebus ante suam
Mortem, ut recenset Marcus c. 11. à. v. 11. Nego-
tiatores, Divina planè Potestate, cui nemo audebat
se opponere, è Templo ejecit, Vultu & Voce ad iram
non puri hominis, sed plusquam hominis, severè com-
positis. *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, o-*
mnes ejecit de Templo, oves quoque, & boves, & numula-
riorum effudit ś, & mensas subvertit. Et his, qui colum-
bas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere
Domum Patris mei domum negotiationis. Joan. 2. v. 15.
& 16. Quibus postremis verbis Auctoritatem Filij
DEI interposuit: cuius Auctoritatis ac Potestatis si-
gnum potentibus, dixit: *Solvite Templum hoc, & in tri-*
bus diebus excitabo illud. v. 19. quasi diceret, cum sol-
veritis Templum Corporis mei per Mortem, Egó
que tertio die illud resuscitavero ad vitam; tunc vi-
debitis, quam habeam potestatem ad exigendam Re-
verentiam

verentiam hujus Templi manufacti , & ad ejus profanatores nunc quasi flagello castigandos , id est , pænis temporalibus hujus vitæ , quæ designantur per quasi flagellum ; quæ si non sufficient , paulo post sequetur verum flagellum , nempe pænæ æternæ . Hinc æstima , si Christus tantâ irâ exarsit contra tractantes temporalia negotia , non in Sancto Sanctorum , neq; in atrio Sacerdotū ante Sanctū Sanctorum , sed solum in tertio atrio , quod erat Laicis sive populo pro Oratione , & Sacrificijs spectandis destinatum ; quomodo exardescet contra irreverentes erga Tempulum , quod Missæ Sacrificio est consecratum ? Et multò magis contra irreverentes erga Dominum Templi , qui ibi in Sacramento Eucharistiæ , velut in Throno residet ? Et vel maximè contra eos , qui tempore Orationis in corde suo , ubi Oratio funditur , sæcularia , nugatoria , & vana tractant , ipsamque Orationem profanant ? an non flagellabit ? an non mensas numulariorum , & omnes curas , ac consilia , quæ sub Oratione in corde volvuntur , evertet ?

PUNCT. II. Considera , Templo Jerosolymitanō (à quo Christus ipse ad Templum Corporis sui sermonem vertit) longè Sanctius Templum esse hominem , per Gratiam Spiritus Sancti Deo consecratum ; de quo S. Paulus inquit 1. Corinth. 6. v. 19. *An nescitis , quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti , qui in vobis est ?* Et in quo Pater Cælestis , ac Christus dignantur mansionem facere , ut ipse Christus apud Joan. c. 14. v. 23. testatur : *Ad eum veniemus , & mansionem apud eum faciemus.* Idcirco nulla actio indecens sive Spiritualium , sive sensitivarum Potentiarum in hoc Templo debet perpetrari ; ideo rursum S.

A 4

Paulus

8 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.

Paulus ait: I. Cor. 3. v. 16. Nescitis, quia Templum DEI estis, & Spiritus DEI habitat in vobis? si quis autem Templum DEI violaverit, disperdet illum DEVS. Templum enim DEI Sanctum est, quod estis vos.

PUNCT. III. Viso Christi adversus Templi profanatores Zelo, subjungit S. Joannes. v. 17. Recordati sunt vero Discipuli ejus, quia scriptum est (Ps. 68. v. 10.) Zelus Domus tuæ comedit me. Nempe sicut ignis videtur comedisse ferrum candens, quod replevit; ita Zelus Domus DEI comedit, & replevit animum Christi Domini. Cum itaque & nos ipsi, & Proximi nostri sint Templum, ac Domus DEI; simili Zelo exardescamus, ad impediendam in nobis, & in Proxi mis nostris omnem actionem, dedecentem Templum DEI, & contrariam Honori Divino. Rogemus etiam Christum Dominum, ut pro suo Zelo erga homines, ejciat è nobis, quidquid ipsi in nobis displicet; ut adeò intret Templum nostrum, ibique habitet, doceat, omnésque actiones nostras dirigat.

M E D I T A T I O C C X I X .

De Conversione, & Instructione Nicodemi. Ioan. 3.

PUNCTUM I. Cum Christus initio Prædicationis suæ Jerosolymam ad Festum Paschale ibi celebrandum ascendisset, ac negotiatores è Templo ejecisset, omnibus prodigioso terrore injecto, ut, quantumvis nondum Miraculis se Filium DEI probasset, nemo tamen auderet se illi opponere; mox cœpit Miracula edere, & ut inquit S. Joannes. cap. 2. v. 23. Cum esset